



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit
impugnare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

(G) Uno ex delegatis recusato, aliter procedere non potest. *cap. cum super. 23. de offic. deleg.*

(H) Actor, nisi inutilium expensarum causa fuisset, reo in causa principali condemnato, in expensas condemnari non poterat; aliàs sententia ex una parte iusta & ex altera iniusta

esse potest; ita quandoque utraque pars litigans appellat, & in quantum pro, agit gratias pro benè administrata Iustitia, & in quantum contra, appellat.

(I) Intuitu Ecclesiæ acquisita eidem sunt relinquenda; ex hoc tamen totum Testamentum impugnari nequit, cum utile per inutile non vitiatur.

REGULA XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

Quæres primo. Quis hujus Regulae sentus?

R. Qui legem, rescriptum, instrumentum, testamentum, aliamvè dispositionem in Iudicio impugnat, ex eo, quod impugnavit, commodum habere non debet. Ratio est; quia cum illud impugnans velut inutile, invalidum & iniustum reprobavit, Juri suo, quod ex eo sibi competit, renuntiasse censetur. *Cap. cum olim. 19. de censib.*

Quæres secundo. Quæ Regulae exempla?

R. Sequentia. **1mo.** Qui constitutionem Apostolicam authenticam esse negavit, eam pro se fructuose allegare non potest. **2do.** Qui instrumentum velut falsum impugnavit, eo pro se uti non permittitur. *Cir. cap. cum olim. 3110.* Qui testamentum velut inofficio-

sum aut invalidum rejecit, ex illo nihil consequitur. *L. Papinianus. 8. §. meminisse. ff. de inofficios. testam.*

Quæres tertio. Quæ Regulae limitationes?

R. Sequentes. **1mo.** Ut Regula locum habeat, usque ad ipsam Sententiam Judicialis debet præcessisse impugnatio. **2do.** Debet facta fuisse proprio nomine. Sic Tutor, qui pupilli nomine testamentum impugnavit, legatum ex eo relictum capere potest. *L. adversus. 30. ff. de inofficios. testam. 3110.* Quamvis is, qui dispositionem aliquam impugnavit, illà contra eundem uti non valeat, attamen contra cæteros eam rectè producit, cum inter aliquos acta aliis præjudicium non generent. *Cap. quamvis. 25. de Sentent. & re judicat.*